ROB, ſive SAPÆ ET SUCCI.

ROB, ſive SAPA Simplex.

℞ Succi recenter ex Uvis albis generoſis & maturis expreſſi q. v.

Tantiſper coquatur lento igne, donec pars una tantùm de tribus ſuperſit; vel Mellis inſtar craſſeſcat.

ROB de BERBERIS.

℞ Succi Berberorum colati, libram unam.

Sacchari albiſſimi ſelibram: cum leni calore coquantur ad debitam ſpiſſitudinem.

ROB de CERASIS.

℞ Succi Ceraſorum rubeorum ſubacidorum q. v.

Sacchari defæcati medium pondus.

Coque lento igne, ut ſupra, ſ. a.

ROB de CORNIS.

℞ Cornorum libram.

Aquæ font. q. ſ.

Macerentur, trajiciatúrque pulpa per ſetaceum, factâque ſuperfluæ humiditatis evaporatione, additâque Sacchari albiſ. ſelibrâ, coque ad conſiſtentiam debitam.

ROB CYDONIORUM.

℞ Succi Cydoniorum depurati q. v.

Lentè cocto ad tertiæ partis abſumptionem, adde

Sacchari albiſſimi dimidium; & repetitâ leni cocturâ, fiat Rob ſecundum artem.

MIVA, vel GELATINA EORUNDEM.

℞ Succi Cydoniorum defæcati libras duodecim.

Cocturâ evaneſcat dimidium: Affunde reliquo

Vini

Vini albi veteris, libras quinque; &, ad mitem ignem, demptâ (ut oportet) ſpumâ, abſumatur pars tertia. Quod ſupereſt ſubſidat, & coletur; auctumque Sacchari libris tribus, coquatur ſ. a.

ROB PRUNORUM ACIDORUM.

Paratur ut Rob Cydoniorum, & in utroque Sacchari uſus eſt indifferens.

ROB de RIBES.

Paratur, ut Rob de Berberis, ex ſucco bene defæcato, adeoq; priùs calefieri debet, quàm ſubſidere.

ROB BACCARUM SAMBUCI.

℞ Succi baccarum Sambuci q. v.
Inſpiſſetur ſenſim igne modico, vel per ſe, vel Sacchari additâ quartâ parte.

Eodem modo parantur ROB Ebulinum, Juniperinum, & Veronicæ; niſi quòd, in hoc poſtremo, Sacchari & Succi tantundem expetatur. Eodem modo parentur cætera.

SUCCUS GLYCYRRHIZÆ Simplex.

℞ Radicum Glycyrrhizæ optimæ q. v.

Mundatas, leviterque contuſas, toto triduo in aquâ fontanâ macera; eâ ſcilicet copiâ, ut tres circiter digitos ſupereminеat. Tum demùm fervefiant parùm, & exprimendo colentur; quodque expreſſum eſt, mitiori igne, in debitam Succi formam condenſetur ſ. a.

SUCCUS PRUNORUM SYLVESTRIUM, aliàs ACACIA GERMANICA.

℞ Prunorum ſylveſtrium vixdum maturorum q. v.

Exprimatur Succus & in Balneo inſpiſſetur ſ. a.

Sic porro fiunt Succi inſpiſſati,
Ex Abſinthio,
Eupatorio,
Fumariâ, &c. Contuſis ſc. & expreſſis herbis, etiamnum tenellis: quorum Succus ad ebullitionem uſque ferveſcere ſinendus eſt, in *B. M.* & poſt colaturam ibidem in juſtam ſpiſſitudinem paulatim evaporare.